



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Contra deambulantes in Templis sub Officiis Divinis. 6

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

oppidorum, villarum, & aliorum locorum, nec non Collegiorum, Societatum seu corporum ministeriorum & officiariorum mechanicorum, Rectorumque aliorum locorum vel communitatum, aut quocunque nomine vel titulo nominare se præsumunt, seu præsumant in futurum; in nonnullis Nostrarum Civitatis & Diocesis nec non Provinciae terminis, contra Dei Ecclesiam, suam extendentium potestatem temeritas sic excrevit, quod consuetudines & observantias vetustas & laudabiles, pia fidelium devotione introductas, non absque scrupulo hæreticæ pravitatis infringere moliantur, inhihendo, seu opem, operam, consilium, auxilium & favorem ad hæc præstando, aut aliis callidis & occultis machinationibus, seu condictis verbis aut factis perficiendo, ne tempore Exequiarum, ac in Septimis, Tricesimis, & Anniverlariis Parochianorum defunctorum, aut aliàs quocunque tempore, panes, carnes, vel casei, seu pices, vinum vel cerevisia, seu candelæ vel denarii, aut aliæ res quælibet, prout juxta morem & consuetudinem prædictam earundem Ecclesiarum, Capellarum, vel Altarium, sub antiquis temporibus obtentum fuit, à Christi fidelibus utriusque sexus hominibus offerantur; ne etiã quis minus aut aliud, quam certam monetam, aut ejus valorem, aut Petias effractæ monetæ, aut consimile (in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis, ac contra constitutiones & observantias memoratas) offerat temporibus antedictis; cum præmissa in Divinæ Majestatis offensam (à qua Majestate Laici præscripti suas meritò sibi datas recognoscere deberent potestates) ac Ecclesiarum earundem ac consuetudinum & observantiarum prædictarum grandem perniciem tendere dinoscuntur: Nos hujusmodi ausibus nefariis occurrere cupientes, districtius inhihemus, ne quis, in modis præscriptis, vel aliis quibuscunque, dictas consuetudines infringat, aut infringere sive violare procuret, aut talia mandata vel statuta & novas consuetudines, immò verius corruptelas, de novo introducant, nec per se aliosve, quibuscunque machinationibus, condictis verbis vel factis qualitercunque efficiendo impediant, quo minus dictæ aut quævis aliæ Oblationes, Ecclesiis aut Ecclesiasticis personis quibuscunque, juxta vota fidelium, liberè offerantur: nec, ad prædicta facienda vel non facienda, dent consilium, auxilium, opem, operam, vel favorem publicè vel occultè.

Insuper districtè præcipiendo mandamus, ut in contrarium attentata, si quæ sint, revocent, & revocari procurent cum effectu intra mensem post publicationem hujusmodi Nostri statuti. Alioqui in omnes & singulos, in præmissis contrarium facientes, & in his aut aliquo

ipsorum inobedientes & rebelles, Excommunicationis sententiam, quam etiã ipsos per Ius commune incidisse reputamus, ferimus in his scriptis; à qua, nisi Reçtori Ecclesiæ, Capellæ, vel Altaris, cujus oblatio (ut præmittitur) impedita fuerit vel diminuta, de injuriis, damnis, expensis, & interesse, prius integrè satisfactum fuerit, nullatenus absolvantur. Volentes, quod universi & singuli Ecclesiarum Rectores, & eorum vices gerentes prædicti, quorum interest, præmissa suis Parochianis, singulis mensibus semel, publicare non omittant. Et, si Univerfitas in præmissis vel aliquo præmissorum deliquerit vel contra fecerit, Ecclesiastico supponimus Interdicto.

V. *Stationariorum seu Quæstuariorum Officia solis tantummodo Sacerdotibus concedenda.*

Item, statuimus & inhihemus, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, ne quis de Officio Quæstionatus Eleemosynarum se intromittat, nisi in sacris Ordinibus fuerit constitutus: nec Ambonem ad prædicandum populo, aut charitativa postulandum subsidia, aut Indulgentias sibi commissas insinuandum, vel aliud quam in eorum literis Apostolicis, vel Diocesanis Episcopi, continetur, exponendum, nisi in Sacerdotio constitutus, ascendere præsumat. Mandantes universis & singulis Diocesanis Nostri Capitulis & aliis ad quos talium constitutio dinoscitur pertinere, ne alicui, nisi secundum formam statuti, literas concedant, & extra istam formam concessas, quanto citius revocare procurent.

VI. *Contra deambulantes in Templis sub Officiis Divinis.*

Item statuimus, ne Canonici ac Beneficiati in Ecclesia, vagentur in Choro vel in Ecclesia, aut etiã intra Ecclesiam vel Cœmeterium de loco ad locum, nec stando vel sedendo inutiliter fabulentur, quamdiu inibi Divina peraguntur; sed moratè & distinctè in Choro intendant Divinis; sub pœnis privationis Fruçuum ad octo dies.

VII. *In Vicecuratos Ecclesiarum Parochialium, non Fratres mendicantes sed Presbyteri seculares, si tamen idonei haberi poterunt, asserendi.*

Item statuimus & ordinamus sub pœna Excommunicationis, quam ferimus in his scriptis; ne aliquis Reçtor aut perpetuus Vicarius